

# 30<sup>TH</sup> SYDNEY LATIN SUMMER SCHOOL

15-19 JANUARY 2024  
UNIVERSITY OF SYDNEY

**Level 4i**

TUTOR:

Michael Hanaghan

# **Dracontius' *Orestes***

## **A Selection**

*Michael Hanaghan*

Aemilius Blossius Dracontius was a lawyer and poet who flourished during the Vandal kingdom of North Africa in the late fifth and early sixth centuries CE.

His Latin poetry is fantastic. It reimagines the Classical tradition in new and exciting ways, is clear and detailed, and full of contrasts and intricacies for the engaged reader.

Dracontius' oeuvre is currently a major focus of the Australian Research Council Discovery Project “Latin Literature in Vandal North Africa” based at the University of Sydney, involving four chief investigators (Assoc. Prof. Paul Roche, Dr Anne Rogerson, Prof. Richard Miles, and at ACU, yours truly). The project also involves Dr Katherine Krauss as a Research Associate.

A very accessible introduction to Dracontius available in English may be found in P. Roche (2022) *Dracontius' Orestes*, Routledge. This book also contains fantastic notes and an excellent English translation. Last time I checked this book was available for purchase on the internet for \$49.99 AUD (If you buy a copy, Paul will sign it!).

I have cherry-picked my favourite parts of the *Orestes*. If we don't get through all of the selection that is not a worry. Philology is after all the art of reading slowly!

I look forward to meeting you in Sydney in the summer.

Warm regards,

MH

## Monday

### i. Proem (1-24)

G a v d i a maesta canam detestandosque triumphos,  
uictoris pro laude necem, festiuia cruenta,  
funeris affectus et lamentabile uotum  
coniugis Iliacae, non quae iugularet Atridem,  
laurea regali rutilantia serta cruore  
et diadema ducis foedatum tabe cerebri; 5  
matris in exitium memorem oblitumque parentis,  
impietate pium, reprobae probitatis Oresten,  
iniustos, sed iure, deos ratione feroci  
insontemque reum purgantia tempa sororum 10  
Taurica, uirginitas cui dat de clade salutem,  
fraude pia melior mendax germana sacerdos.  
Te rogo, Melpomene, tragicis descendere cothurnis  
et pede dactylico resonante quiescat iambus:  
da ualeam memorare nefas laudabile nati 15  
et purgare foro quem damna[uere sorores],  
quem dolor accedit, pudor excitat, erigit ira,  
mens leuat, attollunt animi, bonus impetus urget  
(dat furor arma pius, pietas dat noxia ferrum)  
et medicinales quatiant sanantque furores, 20  
extinctos titulos uictriciaque arma sepulta,  
criminis ultorem dum criminis amputat auctor  
et thalami uindex thalamo spectante necatur,  
ante toros iacet ille tori genialis amator.

### ii. Cassandra's Revelation and Advice (133-52)

Praeterea sors regis erat Cassandra sacerdos,  
inter Dardanias clades Danaumque triumphos  
non habita indigne, licet esset portio praedae. 135  
ipsa Clytaemestrae sacro correpta furore  
longius exclamat: ‘salve regina Pelasgum,

ultio Dardanidum, captae solacia Troiae,  
tuque triumphalis domitor, bone pastor Egiste,  
plumea cui praestant post pelles stramina lectum, 140  
quem post tecta casae regalis suscipit aula:  
quid dubitatis adhuc uestros releuare timores?  
perdite, ne pereat uestri cito fructus amoris  
(tempus adest et fata iubent et culpa perurguet):  
amputet eripiens uictricia colla bipennis! 145  
uos licet et similis maneat censura dolorum,  
sit saltem mora longa reis, dum crescit Orestes.  
uictima carnificis nati post funera patris  
mater eris, tecumque ferox ferietur adulter  
Pyladis fodiente manu (mihi credite) cari – 150  
heu miserum furor alter habet! purgandus Orestes.'  
dixit et elisam retinent per transtra rudentes.

### iii. Clytemnestra Plots to Kill Agamemnon, Part I (153-203)

prouida terruerant reginam dicta nefandam:  
it pallor super ora redux facinusque parare  
disponit sub corde truci, furor urget amoris 155  
sollicitusque timor grassatur mente pauenti.  
maesta domo quasi laeta redit terrente pauore,  
ingrediens thalamos suspiria longa trahebat  
corde premens gemitus et gaudia uultibus aptans.  
quid rumor, quid fama ferat, quid nuntia portent, 160  
auribus attonitis lasciuus quaerit Egistus.  
quae sexus armata dolis sub fraude latenti  
incipit effari: ‘iuuenis, dic, quid sit agendum.  
occidimus: redit ille meus post bella maritus  
uictor et armatus zelo mordente minatur 165  
moribus Argolicis leges inducere castas  
tristibus imperiis. alieni criminis ulti  
quid faciat pro iure suo? moriemur inulti

et perierit iam noster amor: mactabit utrumque  
turbidus ante diem, solitus punire nocentes 170  
letifero mucrone ferus. spes nulla salutis  
est, nisi uitalem contemnimus ambo salutem.  
gloria belligeri feriantur et arma tyranni,  
et prior occumbat quam nostros sentiat ignes,  
prospera bellorum quem sic fecere superbum 175  
et Priami fortuna nocens, ut sanguinis usu  
humani generis uilem putet esse cruentum.  
per te casta negor, per te fero damna pudoris,  
nec uolo tam multi sceleris deperdere fructum.  
at uerbis inimica loquens extorpeo factis. 180  
communis nos casus habet uitaeque necisque,  
est nobis commune bonum, commune periculum,  
sors pariter nos una manet: iubeoque rogoque  
pastorem regina monens; formidine mortis  
terrata sollicitor miserandi femina sexus, 185  
conueniens tamen hortor opus, dum congrua uitae  
impero, ne moriar tecum peritura cruenta;  
nam mecum miser ipse cades Agamemnone uiuo,  
impie. funereis nos casibus eripe sollers;  
nec labor ullus erit uictorem sternere ferro: 190  
semper iners securus agit, qui perculit hostem,  
et patet insidiis nullo terrente quietus.  
non est quem metuas: breuis est et paruuus Orestes,  
unaque natarum cinis est per templa Dianaee,  
altera sexus iners recidens miseranda quid audet? 195  
exulat interea Menelaus, alter Atrides.  
quidquid agis, impune geris, scelerisque peracti  
sic merces, non poena datur; felicior ibis  
atque Agamemnonio regno potieris et aula.  
exemplumque recens tibi iam superaddo, Lacaenam 200  
interfectricem tot regum, tot populorum  
uiuere felicem post funera tanta quiete.  
nec metuam Danaos: heredem sterno Thyestis.'

Tuesday

#### iv) Clytemnestra Plots to Kill Agamemnon, Part II (204-231)

dixerat haec mulier, spes est data maior Egisto.  
‘tramite, dic, quo’ pastor ait ‘geminare ualebo  
hoc tam grande nefas? labor est extinguere regem  
atque triumphantem (quod plus) in principis aula.’  
tunc pandens regina uiam scelerata profatur:  
‘bellorum maculis et crasso sanguine uestem  
rex ferus imbutus ueniet; mutare necesse est  
indumenta duci; tunicam dabo uertice clauso.  
dum caput indutum cupit exertare tyrannus,  
egredere praeuentor atrox, uiolentus Atridis  
finde secure caput ceruicem colla cerebrum.  
ultima res tantum quae restat sola iuuabit.  
consilio subcumbe meo: haec una medella est,  
luctibus illatis auertere funera nostra –  
dum moror, adueniet nostri modo criminis ulti.  
haec infausta loquens lacrimis simul ora rigabat.

turbidus in ferrum rapitur flammante timore  
(audacem *facit ipse pauor*) terrorque proteruum)  
et mouet armatos ictu quatiente lacertos  
absentemque ferit pauidus quem non uidet hostem.  
sic solet anguis hians obsesso fonte uenenum  
fauce parare necis fatis mortalibus aptum  
pectore sublatus lingua uibrando trisulca.  
motibus his mulier melius gauisa resumit  
turpiter infames animos: redit illa uoluptas;  
impete plectibili per rustica colla pependit  
dulcia lasciuis defigens basia labris.  
ille uicem redhibens dabat oscula crebra per artus.

## v. The Murder of Agamemnon (232-83)

Dum commune nefas aequali mente fruuntur,  
regia puppis adest uariis ornata coronis.  
hinc magis audaces animos de crimine sumunt:  
illa rapit tunicam, pastor rapit inde bipennem. 235  
officio stat quisque suo: celatus adulter  
intra claustra latet, mulier progressa parumper  
morte maritali tunicam subnixa ferebat.

rex rate descendens tacta tellure triumphat:  
bellorum maculis rutilabat, sanguine pulcher, 240  
grandis in aspectu, pugnarum horrore decorus;  
qualis erat referens caelo post bella gigantum  
Iuppiter astriferam stellata fronte coronam  
atque coruscantes fundebat uertice flamas.  
pignora naturae concurrunt dulcia patri; 245  
itur in amplexus et reddunt oscula danti.  
lumina uoluebat genitor uisura iugalem  
pergit et ad thalamos post publica limina portae.  
impia quae reducem fallaci uoce salutat:  
‘belliger armipotens, cultus depone minaces 250  
atque habitus dignare pios ut pacis amator.  
en tibi uestis adest nostro contexta labore,  
aurea purpureo radiantur fila colore.’  
dixit et exutum tutanti tegmine regem  
callida funereo perfundit corpus amictu. 255  
sed capiti dum quaerit iter tunicaeque fenestram,  
illa manu retinens armatum acciuit Egistum.  
erigit ille trucem dextra uibrante bipennem  
et ferit incautum caput impius impete mortis  
ac diademalem frangit cum uertice frontem 260  
in partes hinc inde duas; geminantur et ictus,  
terque quaterque ferit, diffundit testa cerebrum.

regina laudante manum rex concidit insons  
saucius et tremulo quatiebat corpore terram:  
sic aper implicitus uenantum cassibus ingens, 265  
dum cupid exsiliens euadere retia toruu,  
concutit ora ferox spumantia dentis adunci  
et perdit uacuos collisis morsibus ictus:  
sic Asiae domitor consumptus fine cruento.  
heu, pastoralis populauit membra securis. 270

Aspera sors hominum uel mens ignara futuri!  
credere quis posset, si centum flatibus acta  
Delphica fatidicos quateret cortina recessus  
antra mouens tripodasque ciens et plectra fatigans,  
euersorem Asiae foderet quod cultor agelli 275  
aut desertor iners, ouium pecudumque magister?  
en caret igne rogi, dederat qui Pergama flammis!  
discite felices non umquam credere fatis:  
sunt faciles dare summa dei, tamen ante relinquunt  
et miseros in fine nocent aut forte repente 280  
destituunt poenasque petunt de sorte secunda.  
credere qui non uult, Priameia fata reuoluat  
atque Agamemnoniam uideat male credulus aulam.

#### vi. Electra Saves Orestes (284-304)

Clade repentina premitur Pelopeia uirgo,  
sed tamen ultorem patris seruauit Oresten: 285  
faucibus eripiens germanum Electra parentis  
imposuit puppi secumque abduxit Athenas  
(quae ratis aduexit regem, haec pignora regis 287  
spesque Agamemnonias et Troica gaza reportat) 289  
et bene sollicitum studiis sapientibus addit.  
cuius erat nimium fidus Pylades amicus. 290  
iunxerat hos studium sollers et gloria linguae;

uelle fuit commune uiris et nolle duobus:  
exercebat opus iuuenes si forte palaestrae,  
pacatum luctamen erat; per lustra ferarum  
uenandum fuerat: socios uenatus habebat;  
cornipedem si quisque leuem frenabat habenis,  
hoc similis faciebat amor; pro ludere telis  
si fuerant animi, iuuenis iaciebat uterque;  
par bene lusus erat pueris, si calculus ibat:                    295  
nec uinci *{est}* quisquam metuens nec uincere feruens.  
sic amat atque fouet germanum Castora Pollux  
et paribus uotis Pollucem Castor amauit,  
mortibus alternis et uitae damna repensant.

## Wednesday

### vii. Agamemnon's Ghost (515-625)

Illa nocte tamen uolitans Agamemnonis umbra                    515  
uenit Athenaeis mox sedibus (altus Orestes  
illic quippe fuit, cum quo Pylades amicus:  
flatibus alternis perflans commercia somni  
lassus uterque fuit, concussus amore palaestrae)  
et stetit ante toros ambobus uisus Atrides                    520  
in somnis, non qualis erat post bella triumphans,  
sed qualis cecidit percussa fronte bipenni:  
tristis iners tremulus, gemitu suspiria rumpens  
(pallida puniceo perfuderat ora cruore  
et tremulas languore manus), ceruice uacanti                    525  
ac pede uincla trahens quibus est abstractus ab aula.  
'non pudet, o iuuenes', dixit, 'pubentibus annis  
uestitos sub flore genas lanugine crispa,  
grandibus instructos studiis et fortibus armis,  
ut pastor mea regna notet promotus in arce                    530  
sanguinea mercede, cluat sub crimine multo

laetus et indomitus, tumida ceruice supinus,  
plaudat et infamis uos iam, sic fama, perisse?  
sic peto Cecropidas uindictam sospite nato,  
incolumi Pylade suo? Patroclus Achillen, 535  
Thesea Pirithous non sic expertus amauit.  
armati gladios in bella domestica ferte  
atque ad fine nefas cognato abscindite ferro:  
nullum crimen erit matrem punisse nocentem,  
morte maritali sceleratam iure necabis. 540  
natus amore pio flammatus morte paterna  
uindicet ut patrem qui matrem strauerit ictam,  
crimina purgabit matris de tempore prisco;  
nam patrem docet esse suum quem uindicat armis,  
dignus adulterii uindex, pius ultor et heres 545  
noster, amor Danais – sunt odia saeuia duorum.  
ite pares animis: uobiscum uernula turba  
sentiet, irati potius quod tardius itis.  
ore fremunt famuli, qui carpere dentibus optant  
corpus Egisteum uel uiuum, tradere flammis 550  
coniugis infandae crudelia membra cremanda.’  
dixerat haec, gemitus somni rupere quietem.

Mox Agamemnonia proles instructa, sodali  
dum narrare parat sua somnia, noscit ab ipso  
ac stupet attonitus, quae tanta potentia patris 555  
tempore sidereo mentes monuisse duorum.  
‘dic mihi, frater’, ait, ‘dic iam modo, quid sit agendum.  
pectora cor sensus animum praecordia mentem  
conturbat pietas dolor anxia maeror origo  
affectus natura pudor reuerentia fama. 560  
transigo funereum materna in uiscera ferrum  
(uiscera, lucis iter uel magni ianua mundi)? 561  
quae perpessa diu bis quino mense pericla  
conceptus portare meos stimulante dolore, 565  
562

- semina naturae, blandae primordia uitiae? 564  
 ast ubi sortitus nascendi iura peregi,  
 flumine pectoreo dedit ubera lactea labris,  
 dulcia nectareum fundentia mella saporem:  
 fit nutrix quae mater erat, regina ministra,  
 exhibit affectus patrios ignara soporis. 570  
 haec pater, haec mihi mater erat pugnante parente,  
 donec ab undecimis aetas me exemerat annis.  
 immemor existam tantorum in matre bonorum?  
 an pater extinctus per me remanebit inultus?  
 facta luat pastor solusque superstite matre 575  
 corruat: hoc patrios manes satiabo cruento.  
 poena sit haec matri, ut prostrato uiuat Egisto,  
 ante oculos recidente suos; muliercula tristis  
 aspiciat moechum, quae gaudens uidit Atriden.'  
  
 dixerat haec dubius, sed non cunctator amicus 580  
 dentibus infrendens suspiria traxit ab imo  
 pectore longa ferox et sic aggressus Oresten  
 increpitat: 'sic sensus iners tua corda tepescit,  
 ut facienda putas quae nec dicenda fuissent?  
 dicere grande nefas, scelus est audire nefandum: 585  
 imus ad Argolicas ueniam donare Mycenias  
 criminibus matris? magis est quae dignior oro  
 (a scelus indignum!) poenis ferienda deorum?  
 quaeso caue, iuuenis, Danaum praescripta dolentum,  
 ne, iugulatricem patris dum uiuere censes, 590  
 credaris non esse suus. non iure parentis  
 umbra, soporatum quae te conuenit Athenis,  
 occurret per mille uias? per limina portae  
 obsidet et tremulis haec uocibus astra lacessens  
 inuehitur: "sic, nate, paras defendere patrem, 595  
 sic decet extincti genitoris fata dolere,  
 sic dabis inferias nostris tu manibus ultor?"

uitricus optabit tali se morte perire,  
ut sit quae post membra rei crudelibus umbris  
ingerat inferias animam parcentis Orestis: 600  
uictima seruaris, fuerit nisi uictima mater.”  
quid facias genitore tuo tibi maesta loquente?  
parcitur infaustis? pius es pietate repulsa!  
ad tumulum patris fundantur membra reorum!  
surge iuuentutis melior spes indole regni, 605  
excitet ingenium uirtus et gloria mentem,  
armentur pietate manus, crudelior ensis  
truncet in extremo gemitu fera colla duorum.  
ibo libens comes ipse tuus per tela, per ignes  
nec metuam quemquam: uestri sunt patris alumni. 610  
sed dabo consilium sollers immune salubre:  
explorator eam; tacita quos uoce monebo  
aduentus sperare tuos. quae turba ministra  
credula dum fuerit, nobis mox corde fauebunt  
ac pro te rapient gladios: sic tutius itur.’ 615

talibus adloquiis accensus felle doloris  
erigitur iuvenile fremens mortemque minatur  
(dentibus inlisis frangebat murmura morsus)  
et, quasi adulterium caperet pastoris Egisti  
matris in amplexus infamia membra ligare, 620  
percutit absentes nullo moriente reorum:  
qualiter infremuit post somnia Pyrrhus Achillis,  
quae sensus monuere suos, cum nocte sopora  
Aeacide stimulante truci deposceret heros  
uirginis inferias, in Pergama saeuior umbra. 625

## Thursday

### viii. Orestes Murders Aegisthus and Clytemnestra (682-802)

Reddit interea rutilum post astra refundens  
depositum natura diem stridentibus undis;  
sol micat et melior compensat damna Thyestis.  
uiderat Atrides muros, quos liquerat infans, 685  
et memor illorum dextram cum uoce tetendit:  
'salue, prisca domus, patriae saluete Mycenae,  
exsecranda prius, sed post ueneranda manebis,  
sanguine si matris cineres satiabo paternos.  
sentiet umbra potens ultam se uindice nato, 690  
quando Clytaemestram percussam uulneris ictu  
uiderit, uxorem uelut auguris Amphiaraui.'  
dixerat et trepidus muros circumspicit hospes;  
qua meminit, carpebat iter comitatus amico.

postquam introgressus, cognoscit turba ministra 695  
os Agamemnonium, gressus oculosque manusque  
et planctu gaudente fremunt sine uocibus oris.  
'iam portae claudantur', ait Pylades Oresti.  
claustra ligant aditus, crepuerunt classica Martis.  
securi stupuere rei, terretur Egistus. 700  
'non ego promisi Danais per saecla quietem?  
nullus ad Argolicos moueat qui bella remansit  
Hectore consumpto, Troia pereunte sub armis'  
dicebat regina furens irata ministris;  
'uindico, sic uiuam mecumque senescat Egistus!' 705  
talia dum loquitur, quasi uindex saeuia minatur,  
una puellarum male concita currit anhelans;  
'uenit Orestes', ait, sed statim credita non est.  
dum dubitant somnumque putant et uana locutam,  
apparet uiolentus atrox Pylades in aula, 710

qualis in hoste fuit trux irreuocabilis Ajax,  
Hectora cum peteret clipeo septemplice tectus;  
ore fremens et fronte minax, mucrone coruscus  
intonat auctores scelerum: ‘crudelibus ausis  
regnantes nunc usque truces euadere iustas                    715  
sperasti uos posse manus? modo saeuia luetis  
supplicia scelerum non una morte perempti.’  
dixit et ad famulos ultricia uerba retorsit:  
‘praecipitate nefas solio de principis actum  
et pede tractus eat fera uictima regis Atridis.                    720  
carnifices frangant durissima membra secures  
et pereat pastor qua regem morte peremit;  
ante tamen nostram perfundat sanguine dextram.’  
dixit et exertum costis immerserat ensem.  
saucia membra trahunt famuli pede uincla ligantes                    725  
postque fores portae, quibus est prostratus Atrides,  
ossibus effractis minuunt per mille secures,  
et male partitos per uulnera palpitat artus.

at genetrix dilata putat sibi parcere natum  
et secura sui iam pro pastore dolebat,                            730  
cum subito truculentus adest immanior hoste  
matris in exitium famulorum nixus Orestes  
agmine terribilis, qui captam crine trahebat  
increpitans: ‘impune tuum post funera patris  
sperasti regnare nefas tumuloque parentis                    735  
iungere natorum uoluisti fata duorum?  
uiuo (uides), scelerata parens; moriere cruenta,  
sic manibus iugulata meis super ossa mariti.’  
conturbata parens nudis exerta papillis  
orabat natum: ‘per haec, puer, ubera, parce!                    740  
per superos patremque tuum, per cara sororis  
pectoris, quae nostro te tunc rapuere furori,  
et per Pyladen (quod plus est) testor amicum:

da ueniam, miserere, precor, miserere parenti,  
si dici sum digna parens.' tum natus 'inanes  
perdis' ait 'lacrimas, genitor te expectat ad umbras.

Ilias ingemuit domini Cassandra ruinam  
nec ferit Andromache famulans post Hectora Pyrrhum,  
cum regina Phrygum fieret captiuia Pelasgum:  
praelato pastore ducis tu colla cruentas.

haec mihi Pylades meus imperat et soror urget:  
ut iaceas mucrone meo, truculenta uirago.'

ast ubi nil potuit mulier de prole mereri,  
mox redeunt animo Phrygiae praesagia uatis.  
'si placet ulcisci genitorem' dixit 'in ambos,

Pyladis me dextra necet, necet ensis et idem,  
et super ossa ruam recidens spirantis Egisti  
et scelerum complex et nostri criminis auctor;  
mixtus uterque cruor testabitur omnibus umbris,  
consortes scelerum quia sors manet una malorum.'

'quod super ossa rogas moechi moribunda iacere',  
natus ait, 'melius recides super ossa mariti;  
nec cruor amborum miscebitur, ense minaci,  
criminibus ne fructus eat morientis amoris  
aut operaे pretium capiatis sorte malorum  
suppicio sociante nefas: discreta iacebis.'

dixit et ad patris ueniens dat uerba sepulchrum:  
'sancte parens, quia sensus iners et spiritus extas,  
accipito inferias, quas offero. uictima iusta est:  
macto Clytaemestram matronam regis Egisti  
atque (utinam non!) ante tuam. solacia nosce:  
nam iacet ille loco, quo tu percussus obisti.  
aetatis mora iusta fuit, quod tardius hoc fit;  
olim uelle fuit.' subicit Danaëia mater:  
'sol pietas, elementa poli, mare flumina tellus

et rerum natura parens tuque atra uorago,  
expectate uices nato redhibente parenti  
quod genitus fuerit, mercedem cernite lactis.'

dixerat haec genetrix, surdis tamen auribus inquit.

quod potuit pietas, uultus auertit Orestes.

780

sol negat almus equos iterum de more Mycenis  
atque tenebroso subtexitur aëre caelum

(et non legitimam timuit mox Graecia noctem,  
extimuit natura chaos, elementa tenebras),

laudat Enyo nefas, dextram copulabat Erinys:

785

pallia purpurea praestriクトo dente momordit,

concidit et tunicam manibus tendebat ad imos

usque pedes, metuens ne mortua nuda iaceret;

maesta uerecundo uoluebat lumina uisu,

uix semel, infelix, extrema in morte pudica,

790

quod non ante fuit, metuens in funere famam.

candida puniceo rutilantur membra cruore,

uerbere corporeo pressas quatiebat harenas,

tandem iussa mori uitam cum sanguine fudit.

tunc repetunt pariter regalia limina torui:

795

sic duo terribiles fulua ceruice leones

caede iuuencarum satiati lustra reposcunt.

regia sanguineos susceperat aula sodales;

conueniunt Danai, regis sub honore salutant,

pars dolet Atriden, sed pars dolet altera matrem,

800

nemo tamen facinus uerbis culpabat apertis,

nec fuerat quisquam qui non damnaret Egistum.

### **ix. Orestes Murders Pyrrhus (803-19)**

Transierat funesta dies, sol merserat undis  
Oceano stridente rotas, redeunte sorore  
roscida somnigerum reuocabat palla soporem,                   805  
tempus adhuc medium uoluebant sidera noctis:  
nuntius Hermione uenit de uirgine rapta  
stirpis Achilleae Pyrrho praedante rapinam.  
mox fuit Atrides, qui sic est orsus amico:  
‘nos aliis uocat ecce labor, nouus ignis amoris.                   810  
quid faciam? scelus est: passim raptatur adulta  
sponsa toris promissa meis! tu regna gubernas;  
ibo ego per gladios flamas et mille cohortes,  
(nam decet ultorem patris sibi quippe mereri),  
dum tamen eripiam clamantem nomen Orestis.’                   815  
dixit et accinctus capulo produxit in hostem.  
repperit Aeacidem subientem templa deorum,  
aggreditur iuuenem, securum obtruncat ad aras  
et reddit ad Danaos elatus caede secunda.

## **Friday**

### **x. The Trial of Orestes (887-962)**

Vt patriam rediere suam, mox fama Molossum  
instruct: accusat gemino de crimine Oresten,  
legibus exhibitum mediis induxit Athenis.  
concedere patres templum praebente Minerua; 890  
surgit Achilleus stimulatus amore paterno  
et sic orsus ait: ‘proceres, legalis origo,  
arguo mortiferum sceleratae mentis Oresten,  
sanguinis oblitum, humani iuris egenum,  
sacrilegum superum, perfusum sanguine matris 895  
et dextra fundente sua. sed adultera forsan  
mater erat. Pyrrhus numquid fuit alter Egistus,  
quem necat in templo caelestia dona ferentem,  
euersorem Asiae, natum armipotentis Achilli?  
forte refert quia mater erat scelerata profana, 900  
crimen adulterii cumulat quae morte mariti.  
percutienda fuit rea maxima iudice iusto,  
non tamen ense suo. quid iam peccasse pudebit,  
cui prius est in matre nefas? censete seuera,  
Cecropidae proceres; decet ultio talis Athenas, 905  
cuius in exitium sat erit non culleus unus;  
talibus hic opus est: aequentur uulnera membris,  
partibus abscisis sibi sit de morte superstes,  
tempore sit modico uiuax laniando cadauer.’

haec ait et tacuit. cui sic respondit Orestes: 910  
‘summates Danaum, sapientes, lumina cordis,  
culmen Athenaeum, censores iuris honesti,  
gaudeo securus quod apud uos causa mouetur,  
sunt quibus uxores, quibus est affectus amandus,

et meminisse reor primaeui temporis annos, 915  
quid sit amor sponsae, thalami quae uota futuri.  
dis superis grates, quod post tot funera mentis  
arguor adsistens inter subsellia sospes.  
incolumis ueneror sanctum per iura tribunal,  
a licito discerno nefas. tractate, uerendi: 920  
non de lite mea sententia uestra ferenda est,  
sed de iure deum, qui me purgasse probantur,  
dum medicinalem tribuunt per corda salutem.  
nemo poli seruare deum, puto, uellet iniquum:  
iustior inuenior, dum matrem uindicat ultor: 925  
si ulciscenda rea *(est)* genetrix, quid iam pater insons?  
quis, rogo, sacrilegus, quis demens audeat almos  
accusare deos, quibus est perfecta potestas?  
scilicet accuset, uocet in certamina diuos,  
obiciat facinus: praesumat bella gigantum. 930  
forsitan obiciat: fuerant cur ergo furores?  
cura doloris erat, proceres, nec poena reatus:  
taedia sollicitant animos mentemque fatigant.  
Pyrrhus erat raptor, uindex post bella rapinae  
arguit unus iners quem comprobat ordo deorum. 935  
quaeso, duces legum, sententia uestra resoluat  
purgatum sub iure deum, sub sorte benigna.'  
dixit et imposuit moderata silentia linguae.  
consilium petitur, facta tractantur Orestis.

mos erat arbitrii quod dispar calculus iret: 940  
albus adest uitae, nam mortem russeus urguet.  
iudicii certamen erat, sententia duplex  
discrepat et numerus par est utrumque coloris.  
calculus albus erat, habuit quem dextra Mineruae;  
is datur ad uitae numerum: purgandus Orestes 945  
dicitur et procerum talis sententia fertur:  
'si decreta deum homini tractare liceret,

posset Orestis opus legali tramite quaeri;  
sed quia praescripto capimur, clementia Caeli  
non sinit audiri, iuris censura quiescat. 950  
quis temerator erit caelestia iura mouere?  
non erat impunis Paris arbiter ille dearum,  
Tiresias nec erat iudex impune Tonanti.  
raptor obit Pyrrhus, iusto mucrone peremptus.  
quod per templa ruit, fuit en perfecta potestas, 955  
si uellent, punire deis. securus Orestes  
sitque redux patriae nullo damnante reatu.'  
actum erat. excipiunt populi clamore fauentes,  
suscepit egressum Pylades laetus amicum  
amplexaeque tenent laeua dextraque sorores,  
quattuor et reduces laeti petiere Mycenae; 960  
regia diuiniis replentur tecta relatis.